



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Vincentii, Sabinæ, & Chistetæ: Ex Flore Sanctorum Hispaniæ auctore 10. Maldonato Hispano. Errant qui putant hunc eundem esse Vincentium Cæsar augustanum, Diaconum S. Valerij Episcopi: ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

MARTIRIVM SS. VINCENTII, SA-
bina, & Christeta: Ex Flore Sanctorum Hi-
spanie auctore 10. Maldonato Hispano. Errant
qui putant hunc eundem esse Vincentium Ca-
sar Augustanum, Diaconum S. Valerij Episco-
pi: hoc eodem quidem tempore passum.

27. Octob.
CVM Dacianus præses Diocletiani &
Maximiani iussu sæua per Hispaniam
edicta dimitteret, pioque sanguine
cuncta tribunalia respergeret, apud Eboram
civitatem Vincentius adolescens compræhen-
sus est. Quem blandè primò Dacianus compel-
lans, interrogare cæpit, cur florentis im-
memor ætatis principum iussa contemneret; Cur
Christum à Iudæis ob flagitia crucifixum, Deū
crederet. Cui Vincentius; Ego, inquit, Deum
cæli & terræ conditorem colo: tu potius de-
liros flagitiososque sectaris deos. Nonne tibi
notum est, Dacianus intulit, Iouem omnia
quæ videntur, condidisse? Compertissimum
mihi est, dixit Vincentius, & vestri libri
non obscurè loquuntur, Iouem virum adulte-
rijs flagitijsque quamplurimis contaminatum
fuisse.

Non tulit hæc Dacianus; sed amouete, cla-
mat, hominem nefarium; scelestum; impium
propellite; & si sacrificare renuerit altaribus
ad mortem, morte mulctate. Rapitur indè Vin-
centius, & ad Iouis templum deducitur; sed in
media platea durissimo pedem imprimens la-
pidi, cunctos in admirationem vertit. Demi-
rati certè carnifices pedis vestigium in filice,
verum esse Deum, quem prædicabat Vincētius
repu-

Vide Not. Co.
Baron in
Martyr.
Rom.

a Contigere
ea anno
Christi 303.
Iuxta Ba-
ron. Tom. 2.
Annal.
Vbi compræ-
hensus Vin-
centius.

Nota mira-
culum quo
carnifices
conuertuntur.

reputantes, tres velut induciarum dies, à Dacia extorserunt. Interim illo in custodiam dato, firmiterque detento, sorores eius Sabina & Christeta in carcerem venientes, peruicerunt, vt cum eis frater fugam capesseret, hæc lege; vt si denuò vincirentur, ipsæ simul cum eo martyrium subirent. Vincentius salutis sororum suarum desiderio inflammatus, fugam cum eis arripuit, Abilamque peruenit. Dacianus vbi de fuga cognouit; immissa post tergum equitum turma omnes simul trucidari præcepit. Qui Abilæ reperti membratim in ecleo diuaricantur, ac conciduntur; nouissimè capitibus fuste lapideque illis, martyres efficiuntur.

Fugit è carcere cum sororibus suis & postea cū ijs martyrio coronatur.

MARTYRIVM SS. APOSTOLORVM

In Notat. ad Martyrol. Rom. & To n. 1. Annal. anno Domini 68. 28. Octob.

Simonis Chananæi: & Thaddæi, qui & Iudas dicitur: Ex Ioachimo Peronio de rebus gestis Apostolorum. Eos vno eodemque tempore & eodem in loco martyrio occubuisse confirmat quoque Baronius.

SIMON & Iudas fratres, Alphæo patre & Maria matre nati, gloriosam pro Christo mortem eodem in loco oppetierunt. Nam Simon quanquam in AEGYPTO, Thaddæus verò in Mesopotamia Euangelium prædicauerit, postremo tamen pariter conuenientes, in Perfide martyrio coronati meruerunt. Porro cum mater eorum, Maria Cleophæ, scilicet filia, modò Iosephi, modò Iacobi, scilicet mater dicatur; dubium non est hos quatuor vno patre & vna matre genitos, fratres fuisse. Et quidem Iosephus fuit discipulorum Christi vnus: Iacobus